

*Bibliothèque numérique*

medic@

**Geoffroy, Antoine - candidat / La  
Rivière, Jacques-Simon Gilles de -  
président. - An Asthamati Aquae  
Thermales ?**

**1710.**

*Paris : Typis viduae Francisci  
Muguet, Regis & Facult.  
Medicinae Typographi  
Cote : ms 2325 n°45*

45

## Q U Ä S T I O M E D I C A,

*Quodlibetariis disputationibus manè discutienda in Scho-  
lis Medicorum, die Jovis vigesimā Februarii 1710.*

M. JACOBO-SIMONE GILLES DE LA RIVIERE,  
Doctore Medico, Præside.

*An Asthmati Aquæ Thermales ?*



### I.

**V**ITA cùm definiatur caloris in humido permansio ; hujus proprium est quòd vivamus, respirationis vero quòd acceptam semel vitam foveamus : facilitas respirandi perenniter cupienda ; difficultas contrà , vèl cessatio pertimescenda : heu ! quam tamèn misera humanæ fortis conditio ; pro leviori mentis aut corporis motu statim anheli sumus ; verùm ab isthac anhelatione noli expavescere ; talem à motu inductam spirandi difficultatem quies sedat : de illâ tantùm curare debes , quæ à naturali statu videtur recedere ; adeò usquè , si parva & frequens sit respiratio cum stertore ac sibilo , ob asperæ arteriæ , ejusdem bronchiorum obstructionem compressionemve , veri Asthmatis nomenclaturam credas ; cuius curæ nemo sana mentis incautus esse debet : hujuscem malo fomites causas vis inquirere ; non alibi quam in ipsis pulmonibus pervestigandæ , quorum canaliculi bronchiales simili cum vesiculis , flatibus raro , crudis nonnunquam tuberculis , crassis sæpius , viscidi , ac glutinosis succis , gravantur , obturanturve ; ex illorum autem animadversione , quæ fit signis atque affectarum partium naturâ , omnis decernitur curandi methodus , facili convenientium medicamentorum negotio procuranda : igitur flatus sint aut tubercula , quæ anhelationem efficiant , discutientibus exsiccantibusve utaris velim : si crassi contrà , viscidi , ac glutinosi humores ; remedia adhibe liquida potius quam sicca , quæ eosdem attenuando , incidendo & detergendo valeant exhaustire ; nisi instet stato temporis intervallo recurrens paroxismus : tunc enim phlebotomiâ , cucurbitularum applicatione , enematis , aliisque revellentibus imminens suffocatio vitanda.

### II.

**A**STHMA TIS tres assignantur species ; prima , levioris momenti , vocatur Dyspnæa , in quâ difficilis est tantum respiratio absquè ullo symptomate ; secunda , idem Asthmatis nomen retinet , in quâ difficilior redditur , sine febre tamèn , sed cum stertore & sibilo ; tertia , Orthopnoea nuncupatur , in quâ difficillima sit ; adeò ut ægrotantes non nisi eretâ



2

cervice atque hianti ore spirare possint : Asthma solum & Orthopnæa  
hic locum habent : communiter dicuntur morbi , mulieribus quam viris ,  
senibus quam juvenibus magis familiares ; ambos parunt saepissimè lenti ,  
pertinacelque succi , vias , itus , reditusque aeris intercludentes ; cruda  
etiam non raro tubercula , congestionum soboles , quæ licet agros lecto  
non affigant , doloribusve discrucient ; ex his tamen non minus impen-  
det periculum : hæc pulmonum vasis adnata bronchiales ductus mole  
suæ premere pro certo habere debes ; tum ex ipsa anhelatione , tum ex  
pulso omnino inæquali ac intermittente ; crassorum contrâ viscosorum-  
que humorum , quibus præ ceteris pulmonares vesiculæ infaciuntur ,  
~~mapos~~ adest : dum inter respirandum sibilus una cum tertore auditur : ho-  
rumce affectuum fidelem affectum esse catarrhum , quis inficias ire potest ?  
Hunc à glandulis in palato laringe & trachea disseminatis depluere , impor-  
tuna vehemensque russis ; à vasis vero majoribus febris & palpitatione sati-  
probant . Utrumque simul exoriri patet ex subitâ ~~sorroria~~ summam pectoris  
angustiam inferente . O fortunate aeger ! cui periclitanti solers ac prudens  
Medicus , citò , tutò & jucundè auxiliatrices manus dederit ; serò atque  
difficulter medicinam parabis , cum humores spissiores facti , vasis ita im-  
pinguntur , ut non nisi maximo negotio averruncari possint ; serius adhuc  
si vires excussioni amplius non sufficiant : tunc enim ( miserabile dictu )  
à russi periculum magis quam salus imminent pulmonibus , valido siquidem ,  
licet inani concusso , quo thorax , pulmonesque quassati faticunt ;  
fluxio adaugetur ; expectorationis opus unicam salutis spem , inchoare  
videtur natura , nusquam vero perficere .

## III.

**E**TELLURIS gremio quæ vi ignis subterranei accensæ scaturiunt  
aque , mineralium æquè ac metallorum facultatibus imprægnatae ,  
Thermæ solent nuncupari : ex iis quædam ferventes sunt , aliae calidæ ,  
nonnullæ vero tepidæ , pro majori aut minori caloris gradu ipsimet aquis  
per fermentationem inducto , ex variâ principiorum quibus constant fossilia ,  
permixtione ; talem præterea inter se , & à ceteris aquarum specie-  
bus distinctionem habent ; at aliae , verbi gratiâ , nitri , salis , vitrioli , alu-  
minis , sapore præditæ sint : aliae vero ferrum , æs sive cuprum , sulphur ,  
plumbum , bitumen redoleant : verum ad quid ? tot diverlarum rerum su-  
pellex & ~~curapæ~~ ; nisi ut præsentaneum resulteret ad profligandos morbos  
remedium , quod quidem ut relinquere grande nefas , sic indiscriminatim  
adhibere perniciosissimum : in ferventes aquas nemo ausit labra , nudumve  
corpus immergere ; multis tamè earumdem vapor & limus levamen af-  
ferunt ; calidas etiam externæ respuunt partes , internas autem mirum in-  
modum recreant ; tepidas denique forinsecus tantum admittere proficuum  
est ; supremum contra plures , eosque pertinacissimos affectus medicamen  
Aqua Thermæ . Omni sanè alio si non efficacius credas ; præsentius sal-  
tem ac jucundius debes prædicare : Petis sudorifera , ad movendos sudo-  
res nihil æquè præstat ac præfervidus earumdem vapor seu halitus ? Vis

3

excitare transpirationem , fluxiles reddere humores ; contractos attus restituere , debiles roborare , hæc omnia ( bonis ægrotantium rebus ) adimplebit tepens balneum ; refrigeratas partes calefaciendi , induratas emolliendi , vacillantes firmandi occasio se præbet . Aquarum Thermalium fotu , harum luti incrustatione , earumdemque stillicidio seu irroratione opus illud perficies : humores tandem cujusvis generis , crassos videlicet attenuare , lentos incidere , tenaciter adhaerentes detergere , sputationem liberam promovere , partes ferè omnes , præsertim pulmones importuno hinc & illinc affluxu debilitatos , inque suis functionibus languescentes redintegrare oportet ; ad has tām salubres Aquas ( velut ad sacram anchoram ) velis citò confugere : illarum potus interiora jugiter abluit : magis quam acetum & mel facultatem habet abstergendi atque incidendi : viscerum obstrunctiones referat , referata plus satis aut immoderata ad pristinum symmetriae statum reducit ; uno dicam verbo , debaccantium huc & illuc humorum ferociam coercendo , demulcendove copiosorem simūl spirituum animalium promovet emanationem , quorum accessu brevi recreantur omnes partes , naturalemque assequuntur tonum : quid plura ? Non prius corporis penetralia subiit potus ille , quin liberam statim liberali mque simūl omnis generis excrementorum videoas dejectionem , per sudores , aut urinas , alvi fluxum , aut anakatharsim .

## I V.

**M**INER ALIUM ut & metallorum supellecstile totam noli dicere inutilem , vel naturæ nostræ inimicam . Eorumdem vires & usus in arte medendi satis probant , variae quæ ex his sunt præparationes , tām Chymicæ quam Galenicæ : inter metalla minium , verbi gratiâ , cerusa , sal , balsamum Saturni , aliaque id genus plumbi effecta , cancris , vulneribus , & fissuris prosunt maximè resolvendo atque exsiccando ; æs ustum , crocus ejusdem vēl ærugo fistulas ac ulcera detergend , atque ad cicatricem promovendi vim habent apud Chirurgos notissimam : ferrum tandem metallicæ familie saluberrimum quis non fatebitur ? etenim particulis salino-sulphureis atque alkalinis constans , ad tollendas obstrunctiones ( morborum ferè omnium causas ) recte condicit : ex mineralibus autem sal , viventium æquè ac mortuorum salus , appetitum dicitur excitate , cibi fastidia , nauseasque amovendo ; quanta sit in nitro facultas attenuandi , incidendi , & aperiendi , vulgo Medicorum satis patet ; sulphur affectuum pulmonarium ( quasi anridotus ) humorum putredini reliftit , vique suâ exsiccante simūl ac bal- famicâ , Asthmaticis , Catarrhīs aut Phtysi laborantibus evidentè auxiliatur ; ἀσφαλτό humiditatum hostis infensissimus , dura emolliendi , superflua discutiendi , humoresque viscidos ac tenaces abstergendi vim haber . Optimum quidem Asthmatis levamen , maximè si ejusdem vaporibus una cum sulphuris , salis , vitrioli , aluminis , nitri , particulis , gravidæ sunt Aquæ Thermales : plerosque ægrotantium , Asthmaticos præsertim cuiusvis sexus , ætatisve ( solis exceptis infantia & senectâ ) salubriter se habere earumdem potu constat inter omnes : nemo tamen ausit ad has ac-

cedere, nisi bellè præparatus, benignaque Veris, aut Autumni tempestas existat. Verùm qui seculs se geret, temeritatis suæ pœnas dabit. Similiter puniendus veniet, qui statim à potu balneum intrare, aut alterutrum crudio plenoque ventriculo aggredi voluerit.

## V.

**A**STHMA TIC curando non pauca subveniunt præsidia; felicitè celebratur vena sectio, habità priùs ratione morbi, ætatis, virium, & temperamenti. Crebrò injiciuntur enemata, quibus cum attenuante victu vomitus aliquoties, sèpiùs blanda Catharsis debet succedere: verùm intèr alia palmam merentur Aquæ Thermale; Plethora duntaxat, vèl suffocationis metum tollit Phlebotomia. Crassorum tantummodo intestinorum balnea, sunt clysteres. Vomitus tandem, & blanda Catharsis, solas ventriculi, alvinarumque partium spurcias valent abstergere; causam vero morbificam nullatenus expugnant: solus itaq; Aquarum Thermalium usus utramque implet paginam. Ægros consequenter à tam gravi affectu liberare potest. An non calefaciendi, attenuandi, incidendi, digerendi, aperierdi, ac detergendi amplio satìs apparatu instructæ sunt illæ Aquæ: egregium sanè munus cuiuslibet temperamenti Asthmaticis à natura oblatum, Aquæ Thermo; præ cæteris efficaciam habent in potu, tūm ob blandum halituosumve calorem ipsis insitum, tūm ob benignos sulphuris & bituminis quibus jugèr turgescunt, vapores; tūm denique ob particularum salis v. g. nitri, aluminis, vitrioli, queis imprægnantur tenuitatem quoquò versùs ad penetrandum aptam, Asthmatisve mineram seù fontem resolvendum, exsiccadum; adeò ut verum sit dictu, non minis tutum ac salutare Aquis Thermalibus uti in Asthmate, quam hoc affectu laborare perniciosum.

*Ergo Asthamati Aquæ Thermo;*

### DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

<i>M. Andreas Cressé.</i>	<i>M. Joannes Gelly.</i>	<i>M. Ludovicus Labbé.</i>
<i>M. Armandus-Josephus Collet, Chirurgia Professor.</i>	<i>M. Claudio Burlet, Regis Hispaniarum Medicus primarius.</i>	<i>M. Josephus Thomassetus.</i>
<i>M. Philippus Caron.</i>	<i>M. Alexander-Petrus Mattot.</i>	<i>M. Ludovicus Poirier, Secundissimi Ducis Britannia Medicus primarius.</i>

Proponebat Parisis ANTONIUS GEOFFROY,  
Balneolensis, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1710.

---

Typis Viduæ Francisci Muguet, Regis & Facult. Medicinæ Typographiæ